



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. V. De Vigilijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

nis Duplicis tantum celebratur, nisi sit Cathedralis Ecclesia, tunc enim in Diœcesi etiam sub ritu primæ Classis celebranda erit, sed sine Octava, ut teste Gavanto f. 8. c. 5. n. 5. Congregatio 2. Maij 1619. decrevit. Unde si occurrant hæ Dedicationses, Dedicatio propriæ Ecclesiæ celebrari, & Dedicatio alienæ, etiam Cathedralis transferri debet juxta Romanam decis. 616. n. 1. Regulares tamen non obligantur (nisi fortè ex decentia) ad Cathedralis Ecclesiæ Dedicacionem celebrandam.

III. Si concurrant vel occurrant plurium Dedicacionum Festa, vel Octavæ earundem, pro varietate Orationum sumi poterit ea, quæ ipsi diei Dedicacionis seu Consecrationis convenit, uti juxta Gavantum in postrema Breviarum recognitione additum fuit.

§. IV.

De Feriis.

I. **F**eria est dies quædam certa cujusque hebdomadæ; cum enim Fideles horrerent dies hebdomadæ à Gentilibus Dijs nominare, nomen Feriæ substituerunt, & ipsam quidem Dominicam, primam Feriam, & sic reliquas secundam, tertiam &c. nominârunt, solo Sabbati nomine retento, quòd nihil Gentile sonabat. Vocârunt autem Ferias, ut innuerent, Clericos utpote in sortem DEI vocatos, ab alijs laboribus & operibus vacare, totòsque Ecclesiasticis Officijs, & DEI obsequio tradere se debere.

II. Dividuntur in Majores & Minores, quarum differentia est, quòd de Majoribus quocunque Festo occurrente (quam ob causam & Majores dicuntur) non item de Minoribus commemoratio fieri debeat, quod ideo ab Ecclesiis constitutum existimo, ut majorem nobis Adventus, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum reverentiam & pietatem generaret.

§. V.

De Vigiliis.

I. **V**igiliæ à vigilando dictæ sunt, eò quòd olim Christiani ante Festa Sanctorum vigilare, & Orationibus

Jejunio vacare consueverint, quæ tamen Nocturnæ Vigiliæ ob varia incommoda ab Ecclesia sublata sunt, solo Vigiliarum nomine & jejunio retentis, tum ut Festum per eandem solemnus redderetur; tum ut per pridianam abstinentiam purificati Fideles, tantò aptiores redderentur ad sequentis Festi lætitiæ dignè celebrandam. Aliquæ tamen Vigiliæ sine jejunio celebrantur, uti Vigilia Epiphaniæ & Ascensionis Domini, eò quòd non deceat lætitiæ ex Nativitate & Resurrectione Christi exortam jejunio temperare.

I. Dividi possunt in Vigiliæ *Majores & Minores*, quarum priores sub ritu Semiduplicis celebrantur, ut Vigilia Epiphaniæ & Pentecostes; aut omnino sub ritu Duplicis, uti Vigilia Nativitatis saltem à Laudibus inchoata ritum Duplicis habet; posteriores ritu tantum simplicis celebrantur.

III. Vigiliæ Festorum in Dominicam incidentes, in Sabbatum juxta Rubricas transferuntur, non item si in Festo occurrant, tunc enim licet & ipsæ ab Episcopis transferri possint (uti in Diocesi Ratisbonensi pro Festo S. Wolfgangi Vigilia in illud cadens transferri solet) si tamen id non fiat, tum vel de Vigilia commemoratio tantum fieri debet, si Festum illud sit ex communibus Duplicibus per annum; vel omnino omitti, si Festum sit altioris ordinis, nempe primæ vel secundæ Classis. Si autem dicto modo anticipetur Vigilia, Gavantus ait, non esse anticipandum Officium, cum separari possint Jejunium & Vigilia, ut in Vigilia Nativitatis in Dominicam cadente patet.

III. Si Vigilia cum aliqua Feria majori occurrerit, nulla fit commemoratio de illa juxta Rubricas de Vigil. n. 2.

IV. Vigilia Epiphaniæ non tantum quoad hoc singularis est, quòd tres Nocturnos & novem habeat Lectiones; sed etiam quoad hoc, quòd de eadem quocunque Festo Duplici occurrente commemoratio fieri debeat, uti in postrema Breviarij recognitione additum est, teste Gavanto & Arnaldo tit. 6. n. 4. tr. 2.

V. Convenit Vigiliæ Simplicis Officium cum Feria quoad Ritus in omnibus, præterquam in Lectionibus, quæ ex Homilia in Evangelium ex Proprio vel Communi Sanctorum sumuntur.